PRO. De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines inter se, in die iudicii reddent rationem, mat. xii.

PR. Deus scrutatur corda & renes psal. 7

PRO. Diliges proximũ tuũ sicut teipsum mat. xix. E

PROPOSITIO

EQuitas præfertur rigori, in. l. placuit. C. de iud. in. l. si seruum. §. sequitur. ff. de verbo. obligati. & l. in summa. §. item varus. ff. de aqua pluu. arcend.

OB. Contra imo rigor est obseruandus, in. l. prospexit. ff. q ꝛ a quib. vbi lex quãtumlibet dura tenenda, quia scripta est.

SOL. Aut rigor est scriptus & æquitas non scripta & tunc rigor scriptus pręfertur æquitati nõ scriptæ. d. l. ꝓspexit, aut æquitas est scripta, ꝛ rigor iuris scriptus, & tũc æquitas scripta ꝑfertur rigori iu-

ris ſcripto, vt in. c. fi. de traſa. ext. vt hic.
PRO. Ei qui agit incumbit onus probandi. l. qui accuſare. C. de edē. l. ii. ff. de pbat.
OB. Contra imo ei qui negat probatio incumbit in. l. nec codicillos. C. de codi. vbi negans quē cōpotē mētis probare debet.
SOL. Ibi negatiua pro affirmatiua ponitur, dum enim negat compotem mentis, affirmat furioſum, vt ibi.
OB. Præterea contra de. l. vbi. C. ad leg. corn. de fal. & l. fallaciter. C. de abolit. vbi nō ſolum actor. ſed etiam reus pbat.
SOL. Fallit ibi rōne criminis leſę maieſtatis, vel peculatus, vel proditionis patrię, vel periurii militis, vel criminis falſi. quę ſunt atrociora delicta.
OB. Vltimo cōtra de. l. ſiue poſsidetis. C. de pbat. vbi reus probat titulū ſuæ poſſeſsionis, contra. l. cogi. C. de pet. hęred.
SO. Ibi pſumptio eſt p actore rōne cuius pſumptiōis erat ei⁹ intētio fundata, vt ibi
PR. Exēplo turpisſimū eſt fœminino quoque vocabulo etiam maſculos cōtineri, in. l. ſi ita ſcriptum. ff. de leg. ii.
OB. Cōtra de. l. adigere. ff. de iur. patro.

SOL. Ibi fauore matrimonii.

PRO. Exigere pudicitiam vir non debet a muliere quam ipse maritus nõ exhibet. in.l.si vxor. §. si iudex. ff. ad leg. iul. de adul.

PRO. Ex persona hæredum conditio obligationis immutari non debet.l.ii.§.ex his.ff.de verb.oblig.

PRO. Ex vna lite lis alia oriri non debet l.terminato.C.de fruct.& lit.expen.

PRO. Ex ebrietate procedit luxuria & mentis furor prou.xx.& in can.luxuriosa,in can.venter,in cano.luxuriã. xxxv. dist.in.c.a crapula, ext. de vit. & honesta.cleri.

PRO. Ebrietas est malorum omnium fomes ac nutrix can.si.xxxv.dist.

PRO. Equalitas delictorum æqualitatem pœnarum desiderat,in.l. si quenquam, in fin.C.de episco.& cleri.vbi quos par facinus comitatur,& æquat,vtrosque similis pœna comitari debet,ad idem textus, in l.quicunque.§.fi.C.de hæret.& in.§.fin. in auth.vt frat.fil.succed.col.ix.in.c.fin. de peni.lib.vi.

OB. Contra de.l.quædam.ff. de pœni. & l.pedius.ff.de incēd.ruin. & naufrag. vbi aliquando grauior,aliquando leuior pœna imponitur personis idem delictum cō mittentibus.

SOL. Illud est propter conditionem personarū,& rerū qualitatem, & vt ibi not.

OB. Præterea est crimen rapere, vel raptum raptori seruare.l.crimen, ad.l.iul. de vi publ.C.& tamen inæqualis pœna statuitur,plus enim punitur raptor,quam raptam rem seruans,in.l.vnic.in.§.pœnas.C.de rapt.virg.seu vid.

SOL. Dic ꝙ.d.l.crimen ita intelligitur ꝙ alterum crimen ex his duobus non est alteri dissimile,vt ibi glo.declarat.

PRO. Ea quę sunt moris & consuetudinis in bonæfidei iudiciis debent venire.l. qđ si nolit.§.quia assidua.ff.de edil.edict.

PRO. Error in nomine non vitiat, si de corpore constat.l.si in nomine.C.de testam.§.si quis in nomine. inst. de leg.l. si in nomine.ff.de verb.oblig.l. in venditionibus.ff.de contrah.empt.

OB. Contra de.l.si quis in fundi.ff.de leg.

l.&.l.quoties.ff.de hæred.instit. vbi error circa rerum vocabula vitiat.

SOL. Hic in errore nominis proprii, ibi in errore nominis appellatiui.

OB. Contra istud oppono de.l.fi.C.de hęre.institu. vbi error in proprio nomine vitiat institutionem.

SOL. Hic in errore nominis alieni, ibi in errore proprio testatoris sui nominis.

PRO. Erubescimus sine lege loqui.in.l. illam.C.de colla.in.§.consideremus, in authen.de trient.& semiss.col.iii.

OB. Contra in legibus arguitur a contrario sensu in.l.eum qui.ff.de dona. cum similibus.argumentum autem a contrario sensu tacite & per quandam coniecturã ex lege sumit.l.apud antiquos.C.de furt. & sic non ex lege expressa.

SOL. Dic ꝙ contrarius legis sensus est ꝑ lege, in.l.qui testamento.in.§.mulier.ff.de testam. vbi glo.& apertissime sensus legis a contrario colligitur in.l.si quis locuplex.ff.de manu.testa.

PRO. Error contrahentium vitiat actum qui geritur.l.in omnibus.ff.de act.& obl.

PRO. Extra territorium ius dicenti impune nõ paretur, in.l.fi.C.de iurisd.om.iud. in.c.fin.de constitu.in.vi.

OB. Contra de.l.emancipari.§.apud proconsulem.ff.de adopt.&.l.ii.ff.de off. pc. & leg. vbi magistratus habet iurisdictionem extra prouinciam suam.

SOL. Habet voluntariam non contentiosam, vt ibi.

OB. Præterea contra de.l.si quis ex aliena.ff.de iuris.om.iud. vbi vocatus a prætore ex aliena iurisdictione debet venire.

SOL. Verũ est cũ dubium est inter partes de iurisdictione, alias secus, vt hic.

OB. Tertio contra de.l.i.ff.de.iu.

SO. Ibi cum partes prorogãt iurisditionẽ.

PRO. Ex omnibus causis lites conrestatæ in hæredes transeunt. l. sciendum. ff. de act. & oblig.

PRO. Ea quæ ex improuiso potius casu, quam ex fraude accidunt, fato plerunq; non noxæ imputantur.l.i.C. ad.l.corn. de sicar.

PRO. Ex facto ius oritur. l. si ex plagis. §.in diuo.ff.ad.l.aqui.

PRO. Error in syllaba non nocet. l. qui habebat.ff.de man.testa.

PRO. Episcopus est Vicarius christi in terris, in can.mulier. xxxiii.q.v.

PRO. Episcopi sunt successores apostolorum can.quorum vices.lxviii.dist.

PRO. Aes alienum respicit vniuersum patrimonium, non certas facultates, in.l. si fideic.in. §.tracta.ff.de iud.

PRO. Expertis in arte credendum est, vnde experto crede Roberto in.l.i.ff.de vētri.inspic.

PRO. Experiendo, ius suum nemo facit deterius.l.aliā.ff.de nou.l.i. ff. si ex nox. caus.agat.

PRO. Ecclesia nulli claudit gremium.l.inter claras.C.de sum.tri.& fide cath.c. super eo.de hæreticis in.vi.

OB. Contra de.l.iii.C. de apost. vbi etiā pœnitentibns non subuenitur.

SOL. Ibi in perditis, hic in errantibus. Vel dic quo ad forum fori illud verum esse secus quoad forum poli, vt hic.

PRO. Error impedit consensum.l. si per errorem.ff.de iuris.om.iu.l.ii. ff.de iudic.

PRO. Ex differentia locorum induci aliquod discrimen non oportet. l. superuacuam. C. de temp. in integ. resti.

OB. Contra de. l. ideo. ff. de eo ꝙ certo loc. vbi secundum diuersa loca, diuersa ꝑtia statuũtur, ꝛ. l. ii. ff. de off. proc. & leg. vbi proconsul extra prouinciam habet tantum iurisdictionem voluntariam, non contentiosam.

SOL. Diuersitas locorum diuersitatem iuris reddere non debet, secus est in diuersitate prætiorum & iurisdictionum, vt in contrariis.

PRO. Eadem solutio duos contrarios effectus non operatur. l. cum. §. i. ff. de cõd. indeb. l. qui hominem. §. fin. ff. de solut.

OB. Contra de. l. in numerationibus. ff. eod. tit. Vbi vna solutio diuersos effuctus parit.

SOL. Vna & eadem solutio potest parere effectus diuersos, non tamen contrarias rationes habentes, vt in contrario, & ibi not.

PR. Excommunicato actus iudiciarii prohibentur. c. decernimus de sent. excõ.

PRO. Expresſio eorũ quæ tacite inſunt, nihil operatur.l.iii.ff.de lega.i.l.conditiones quæ extrinſecus.ff.de condi. & demõſtra.l.cornelius.ff.de hæred.inſti.l.aliquãdo.ff.de condi. & demon.l. non recte.C. de fideiuſſor. Hoc intellige verũ ſi inſunt de neceſsitate, alias bene operatur. l. hoc legatum.§.illi ſi volet.ff.de leg.i.

PRO. Exempla non reſtringunt regulam l.ſtipulatio damni infecti pertinet.ff. de dam.infe.adde text.in.l.i. §. quod vulgo ff.de vi & vi arm.

PRO. Ex præcedentibus & ſequentibus ſcripturæ, ſenſus cognoſcitur. l. ſi ſeruus plurium.§.fin.ff.de leg.ii.

PRO. Euaneſcit inſtrumentum. ſi exinanitur debitum l.ſi conductionis. C. loc.

PRO. Aegritudo mẽtis ſi ſit ſanitas corporis non impedit ad teſtandum nec ad contrahendum.l.ii.ff.de teſtam. l. ſanum C.de tranſact.

PRO. Ex quo aliquid ſcriptum inuenitur preſumitur voluiſſe ſcribens.l.ſciendum, de verb.oblig.vbi gl.

PRO. Expreſſa nocent, & non expreſſa

non nocent, vnde Catho.
Nil tacuisse nocet, nocuit tamen esse locu tum. in. l. nonnunquam. ff. de condi. & de monst. in. l. actus legitimi ff. de reg. iur.
OB. Contra quia tacita habetur pro expressis. l. cum quid. ff. si cert. pet.
SOL. In his quae insunt de necessitate, de natura actus tacitum habetur pro expresso, vt ibi, secus in his quę sunt contra formam & naturam actus, vt hic.
PRO. Exceptiones dilatoriae sunt in limine iudicii opponendae. l. exceptionem. C. de probat.
PRO. Experientia est rerum omniũ magistra. in. §. pen. insti. de satis. vbi Ang. in c. q̃ꝫ sit, de elect. in. vi.
PRO. Euenientes fortunae contrarios saepius euentus operantur in. §. quia vero hactenus, in auth. de nup. coll. iiii.
PRO. Elusoria non dñt esse decreta iudicũ. l. si ꝓtor. ff. de iud. c. cordi de ap. in. vi.
P. Exultat lęuitate puer, grauitate senect⁹
Inter vtraque manes stat iuuenile decus.
Istos versus no. glo. in. c. cum in iuuentute, extra de praesumpt.

PRO. Expedit reipublicæ ne sua re quis male vtatur in.§.fi.inst.de his qui sunt sui vel alien.iur.

PRO. Eius est interpretari cuius est condere,in.l. ii. C.de vet. iur. enuc.l.fin.C. de leg.l.ex facto. ff. de vulga.subst. l. in prætoriis.ff.de præto.stip.in.c. sane. extra de off.& potesta.iud.deleg.&.c.inter alia.de sent.excom.

PRO. Ex aliena culpa quis damnum pati non debet,in.l.meminerint.C.vnde vi.

PRO. Eligens vnum ex duobus contrariis alteri renunciare videtur,in.l.i.C.de fur.vbi not.in canon. cum renunciatur. xxxii.q.ii.

PRO. Error in corpore vitiat actum, in l.iiii.ff.de leg.i.&.l.quoties, de hære. instit.ff.&.l.in venditionibus, de contrah. empt.ff.

PRO. Equalitas in iudiciis est obseruanda,non enim debet claudicare iudicium, in.l.fi.C.de fruct.& lit.exp.l. non debet actori.ff.de reg.iur.in can.nullus.4. q.iii. &.c.nouit, extra de iud.

PRO. Ex consilio alieno nemo obliga-

tur. §. tua tantum, inst. mand.
PRO. Eligentes vnum remedium seu actionem, alteri renunciare videntur in. l. cum filiusfamilias. §. variis. ff. de leg. ii. l. q in hærede. §. eligere. ff. de trib. act. l. cōmissoriæ C. de pac. inter emp. & vend. l. refer. §. si pact. ff. de pact. in. l. fin. C. de cod. l. nemo ex his. §. quoties. ff. de reg. iu.
OB. Contra de. l. naturaliter. §. nihil commune. ff. de acq. possess. & l. cum fundum §. fin. ff. de vi & vi arm. & l. & an eandē in. §. fi. ff. de except. rei iud. vbi duæ actiones cumulantur.
SOL. Actiones plures competentes ad diuersa possunt simul intētari, vt ibi, quia ex diuersis caussis, & diuersis respectibus intentātur, secus si ad idē cōpetāt, vt hic.
SOL. Ex studiis suis intelligitur puer. Prou. 20. c. ex studiis, extr. de p̄sumptio.
PRO. Emptio & venditio sine re & pretio non valet. l. ii. & l. nec emptio. ff. de cōtrah. empt. in. §. prætium inst. de emp. & vend.
PRO. Exceptio est actionis exclus.o. l. ii. ff. de excep.

PRO. Exceptionibus vti pluribus quis potest, in.l.nemo. ff. de except.

PRO. Euagationis & dissolutionis occasio euitanda est: c. quia in tantum, extra de prębēd. c. cum singula, de prębē. in. vi.

PRO. Eadem solemnitas requiritur in destruendo quæ in conficiendo. l. hæredes palā. §. si quid post. ff. de testa. l. i. C. quād. lic. ab emp. disce. l. nihil. tam naturale. ff. de reg. iur. in. c. i. de reg. iur. ext.

PRO. Expressum facit cessare tacitum. l. qui ex filio. §. filio. ff. de vul. & pup. subst.

PRO. Ex quo quis debet puniri, non debet præmium causæ qui. l. sine hæreditaria. ff. de neg. gest. l. relegatorum. §. fin. ff. de interd. & rele.

OB. Contra de can. maritum. xxxiii. dis. & c. inter opera, ext. de sponsa. vbi ex eodem facto quis punitur, & meretur.

SOL. Illud non contradicit, quia quantum ad legem promotionis, reus est meretricem ducens in vxorem, sed quantū ad gratiam, innocens, vt ibi not. Archid.

PRO. Ex diuturnitate tēporis pręsumuntur oīa solenniter acta, in. l. qui in aliena.

§.sed etsi.ff.de acqui.hæred.

PRO. Euentus considerandus est in.l.aut facta.ff.de pœnis,in. §. quia vero hactenus,in auth.de nup.col.4.

PRO. Exceptiones quæ requirunt altiorem indaginem in caussis summariis non admittuntur,sed in caussis principalibus reseruantur,in.l.iii.§.ibidem.ff.ad exhib. l.si is a quo.ff. vt leg.nom.caueat.

PRO. Ea in quibus electa est industria personæ per alium impleri non possunt. l.inter artifices.ff.de solut.

PRO. Exceptio debet esse de regula,in.l. nam quod liquide.in.§.si.ff.de pen.leg.

PRO. Exceptio nititur ęquitate.l. qui æquitate.ff.de dol.mal.except.

PRO. Ecclesia vnius debet esse sacerdotis,sicut sponsa vnius viri.c. cum nō ignores,extra de præb.

PRO. Eadem est ratio taciti & expressi. l.cum quid.ff.si cer.pet.

PRO. Extinctæ res vendicari non possunt,in.§.si tamen,inst.de rerū diuisione.

PR. Ex sermonib⁹ incōgruis, p̄sumit̄ quis nō sanę mētis.l.q̄dā in suo.ff.de cōd.inst.

PRO. Exempla reddunt rem clariorem l.prætor.§.iulianus.ff.de coll.bon.

PRO. Etiam si pedem in fossa haberem adhuc discere vellem.l.apud iulianum.ff. de fid.liber.

PRO. Ex duobus contrariis optimum fit temperamentum. l. respiciendum. ff. de pœnis.l.continuus.§.item qui insulam.ff. de verbo.oblig.l. si seruos. C. de pig.act. ca.disciplina.xxxv.dist.c.i.de off. custo.

PRO. Expedit creditori potius pignori incumbere,quam in personam agere. §. furtum inst.de obli ex delict.

PRO.Eius est soluere,cuius est litigare.l. iii. ff. de re iud.cã. cuncta per mundum. ix.q.iii.

PRO. Ex frequenti delicto augetur pœna.l.aut facta.§.fi.ff.de pęnis.

PRO. Euidentia patrati sceleris non indiget clamore accusatoris, in.c. euidentia, extra de accusa.

PRO. Ex duarum legum collatione valet argumentum.l. gallus.§. ille casus. ff. de liber.& posthu.

PRO.Ex nudo pacto non nascitur actio, in.l.

in.l.iurisgentium.§.igitur.ff.de pac.l.legē C.e.ti.l.si tibi.C.locat.

O B. Contra de.l.si quis argentum.§. fi.C. de donat. vbi nascitur actio ex nuda promissione donationis.

S O L. Ibi non nascitur ex nudo pacto, sed ex lege, vt ibi in textu.

O B. Secundo contra de.l.ad exactionem C.de fid.instr.&.l.fi.C.ad velleia. vbi ex nudo pacto dotis actio datur.

S O L. Ibi est contractus dotis non nudum pactum.

O B. Vltimo opponitur de.c.i.de pact.extra vbi generaliter vult Rom. Pontifex pacta esse obseruanda, & sic tam nuda quam vestita remedio scilicet actionis. Cum enim dicit aliquid seruandum esse, intelligit remedio actionis. arg. l. statuas ff.de acqui.rerum domi.

S O L. Ibi hoc verum de iure canonico.

P R O. Exhęredatio valet ad commodum filii facta.l.multi nō notę.ff.de li.ɀ posth.

P R O. Erronea subscriptio nō nocet.l.titius.ff.de rescin.ven.l.gaius.ff. de pig. ac.

P R. Ex aliena malignitate alienum dā-

num emergere non debet, in.l.fina.C. de acquir.possess.

PRO. Elemosina non est elargienda de alieno, in canonic. non putanda prim. questi.i.

PR. Excõmunicatio fieri non debet sine iusta ⁊ rationabili causa.c.sacro. extra de sen.excom.

PRO. Excommunicatus, est seruus diaboli, glo.in.l.pedius.ff.de arbit.

PRO. Eadem ratio quæ mouet delegantem, debet mouere delegatum.c.super literis, extra de rescript.

PRO. Error in proprio facto non toleratur. in.l.quãquã.ff.ad velleia.cũ similib⁹.

OB. Cõtra de.l.sed etsi me putẽ.ff.de cõd. ĩdebi. &.l.iter socerũ.§.i.ff.de pact.dota.

SOL. Error in facto proprio tollerabilis est dãno euitando, vt in contrariis, secus in lucro captando, vt hic.

PRO. Executor de caussa cognoscere nõ potest, in.l.si prætor.ff.de iud.in.c.pastoralis.§.qa vero.de off. & põt.iu.delc.ext.

PRO. Errantibus & non fallentibus subuenitur.l.si is qui.c. si minor se ma.dixer.

PRO. Effectus quãdoque dignior est sua causa, in. l. quod ex liberta. C. de oper. lib. & insti. de inge. in princ.

OB. Contra de. §. generaliter, in authen. consti. quæ de dig. coll. vi. vbi causa causato dignior est, &. l. quisquis, cum glos. C. ad le. iul. maiest. vbi similis est effectus caussæ.

SOL. Hoc brocardicũ regulariter nõ habet locũ, sed qñque, vt fauore libertatis.

PRO. Euẽtus nõ spectatur, cuius effectus nullus sequitur, in. l. fin. C. qui admitti. l. ad probationem. C. de proba. c. cum contingat, extra de off. deleg.

OB. Contra de. l. quibus diebus. §. ii. ff. de condit. & demonstra.

SOL. Ibi propter conditionem, quæ in forma specifica est adimplenda. l. meuius ff. eodem titu.

PRO. Exemplo non creditur, in auth. si quis in aliquo documento. C. de eden.

OB. Contra de. l. publicati. C. de testa. & §. illud. in authen. vt frat. fil. succe. col. vi.

SOL. Vbi originale exemplar est officio iudicis publicatum seu exemplatum, vo-

cata parte cuius intereſt, creditur inſtrumento exemplato, vt ibi.

ADDITIO.

PRO. Exceptionem obiiciens nunquam videtur de intentione partis aduerſæ cõfeſſus.l.non videtur.ff.de except. c. cum venerabilis, extra eod.titu.

PRO. Exceptio peremptoria vſque ad ſententiam opponi debet, in.l.peremptorias.C.ſen.reſcin.non poſ.

OB. Contra de.l.tametſi.ff.ad macedo.& l.i.C.de iur.& fac.igno.&.l. minor.25. annis omiſſam.ff.de minor.

SOL. Speciales ibi caſus ſunt in exceptione minoris & militis, & exceptione macedoniani, in odium creditorum fœnerãtium, & velleiani in fauorem mulierum.

PRO. Etiam, dictio eſt implicatiua, eod. tit.C.etiam per procura. in integ. reſtit.

PRO. Ex lectione librorum doctior, & melior quis efficitur, in.l. penult. ff. ad exhiben.

PRO. Ex contractu alterius nemo obligatur, in.l.iii.C.ne vxor pro marito, niſi pater pro filio, & dominus pro ſeruo, in

§.actiones autem, insti. de acti. tot titu. C. quod cum eo qui in alien. potest. est. ne go. gest. esse dica. & hæres, pro defuncto l. iii. §. fin. ff. quib. ex caus. in poss. eat. tales enim personæ pro vna & eadem persona reputantur, in. l. fi. C. de impub. & . §. i. in auth. de iureiur. amor. præst.

PRO. Ecclesia ad sui regimen viris literatis per maxime noscitur indigere. c. cū ex eo de electio. in. vi.

EX VTROQVE TESTA.

PRO. Ex abundantia cordis os loquitur. Matt. 12.

PRO. Erue eos qui ducūtur ad mortem, pro. 24.

PRO. Expedit tibi vt vnum membrorū tuorum pereat quam totum corpus tuū mittatur in gehennam ignis Matt. 5.

PRO. Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Matt. 10.

PRO. Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis, Matt. 12.

PRO. Elemosina ab omni peccato, & morte liberat Tobi. 4.

F

PROPOSITIO.

FAuorabiliora sũt amplianda, & odiosiora sunt restringenda, odia enim restringi & fauores conuenit ampliari, in. l. cum quidã ff. de lib. & post. in. c. odia, de re. iu. lib. vi.

OB. Contra de. l. ii. §. exercitium. ff. de his qui not. infa. vbi odium ampliatur.

SOL. Hæc regula vera est, nisi odiosum respiciat vtilitatem publicam, vt ibi.

PRO. Fauore amoris nihil vehementius, in. §. illud, in authen. quibus mod. nat. effi. leg. colla. ix.

PRO. Fructuarius causam proprietatis meliorem potest facere non deteriorem, in. l. ęquissimum. §. fructuarius. ff. de vsufru. l. vxor patrui. C. de leg. l. res quarum C. de iur. dot.

PRO. Fructus omnes gratia hominum comparati sunt. l. in pecudum. §. vltim.

ff.de vsur.§. in pecudum, institu. de rerum diuis.

PRO. Fraus & dolus alicui patrocinari nõ debẽt.l.i.2.l.ne ex dolo.ff. de dol.c.sedes.c.ex tenore.c.super literis,extr.de rescrip.c.tuę,de cler.non resi.cum olim de off.& potest.iud.deleg.

OB. Contra,quia contrahentibus licet inuicem sese decipere.l.in caussæ.§. penul. ff.de mi.l.item si prætio.§.fi.ff.locat.

SOL. Hoc verum est dummodo absit dolus,vt ibi not. Barto.

PRO. Fructus intelliguntur deductis expensis.l. fructus.ff.solut.matr.l.si a domino.§.fi.ff.de pet.hæred.

PRO. Falsus rumor nocere non debet, in.l.fi.ff.de hæredi.insti.

PRO. Fauore alicuius introductum in eius odium retorqueri non debet.l.quod fauore.C.de leg.c.quod ob gratiam, de reg.iur.in.vi.

PRO. Fauorabiliores esse debemus ad soluendum,quam ad liberandum..l.arrianus.ff.de act.& oblig.in.c.ex literis, extra de proba.

PRO. Fauorabiliores sunt rei, q̃ actores, reg. fauorabiliores, de reg. iur. ff.

PRO. Fructus dotis ad maritũ pertinẽt, ad supportanda onera matrimonii. l. dotis fructus. ff. de iur. dot. l. pro oneribus, C. eodem tit.

PRO. Frustra legis auxilium implorat, qui in legem committit. l. auxilium, in fi. ff. de min. c. bonæ memoriæ, &c. c. dudũ, de elect. ext.

PRO. Facta aliena prudentissimos etiã homines fallunt imo quandoque ipsum legislatorem, in. l. ii. ff. de iur. & fact. igno. in. c. i. de consti. in. vi.

PRO. Facilius remittimus quę speramus, quam demus quæ possidemus, not. gl. in l. si fideicommis. §. item si certam per illum tex. ff. de leg. iii.

PRO. Frustra pręcibus impetratur, quod de iure communi conceditur. l. i ff. ad muni. & ibi nota. in. l. i. C. de thes. lib. x.

PRO. Filiusfamilias non potest agere in iudicio sine licentia patris, in. l. cum non solum. §. necessitate. C. de bo. quæ lib. De iure vero canonico patris consensus non

requiritur, in. c. fi. de iud. in. vi.
PRO. Fustium castigatio non infamat. l. ictus fustium. ff. de is qui not. infam.
PRO. Facilius tollitur ius speciale, quam ius commune. l. eius militis. §. qui militia missus. ff. de mili. testa.
PRO. Facilius compensamus q̄ soluamus, not. glo. in. l. fideicommissa. §. item si certam. ff. de leg. iii.
PRO. Fortior præsumptio tollit minorē. l. diuus. ff. de res. in integ. in. c. alma mater. extra de sent. excom.
PRO. Facilitas veniæ incentiuum tribuit delinquendi, in can. est iniusta. xxiii. q. 4.
PRO. Ferendus est pudorem suum purgans, in. l. quæ omnia. ff. de procur.
PRO. Fauendum est magis religioni, bona enim est ratio, quæ pro religione facit. l. sunt personæ ff. de religio. & sumptib. fun.
PR. Facta pro infectis haberi non possūt l. ī bello. §. factę. ff. de capt. ⁊ post. reuers.
OB. Contra de. l. non dubium. C. de legib. vbi factū cōtra legē, habetur pro infecto.
SOL. Illud est de fictione iuris.

PRO. Falsa credulitas non confirmat qđ agitur. l. si cum te. §. fi. de pact.

PRO. Finis est spectandus, vnde, Exitus acta probat. secundum Ouid. l. si quis. ff. de tit. nup. l. non intelligitur. §. si quis palam. ff. de iu. fisc. l. mela. ff. de alim. & cib. lega. in. §. quia vero hactenus in auth. de nupt. col. iiii. in. c. literas, de desp. impub. extra, & c. præterea, de test. cog. vel nõ.

OB. Contra imo principium est spectandum, in. l. i. ff. de orig. iur. in. l. creditor. ii. C. de pig. actio. cum similibus.

SOL. Principium spectandum est in omni negotio, ex quo actio oriri potest, vt ĩ contractibus, vel quasi, delictis, vel quasi, & in decretis, & constitutionibus, nisi pp fauorem aliud inducatur. Finis autem attendendus est cum quæritur an id dedit, vel nõ dedit, seu quando dedisse videtur vel quando possidet, vel restituit, siue cũ capere potuit, vt hic, ita declarat glo. in c. dudum, in verbo electionis tempore, de elect. lib. vi.

PRO. Facta nõ p̃sumuntur nisi ꝓbẽtur, in l. in bello. §. factę. ff. de capt. ꝛ post. reuer.

PRO. Furiosus nihil recte agit in. §. furiosus, insti. de inu. stip.

PRO. Furiosus in omnibus absentis & quiescentis loco habetur. l. ii. §. furiosus ff. de iur. codic.

PRO. Filius est, qui ex viro & vxore legitimo matrimonio nascitur. l. filium. ff. de his qui sunt sui vel alien. iur.

OB. Contra appellatione filii etiam naturalis continetur. l. ex facto. §. si quis rogatus. ff. ad Trebel. l. Lucius. §. fin. &. l. cum pater. §. volo. ff. de legat. ii. l. fina. ff. de iure deliber.

Præterea legitimi quoque tantum, scilicet adoptiui continentur. l. i. ff. de adoptio. De hac filiorum diuisione, vide glo. in auth. ex complexu. C. de incest. nupt. & in. §. i. insti. de adopt.

SOL. Filius proprie est qui & naturalis simul, & legitimus est, vt hic accipitur. Improprie vero & large ex interpretatione legis naturalis tantum, vel legitimus tantum.

PRO. Forma dat esse rei, & eam conseruat in esse. l. iiii. §. si quis rem. ff. ad exhib.

PRO. Facta sunt incerta.l.vbi autem nõ apparet.§.qui id quod.ff.de verb. obliga.

PRO. Fictio non operatur contra ius, gl. not.in.l.talis scriptura.§.fin.ff.de legat.i.

PRO. Filii sequuntur familiam patris nõ matris.l.cum legitime.ff. de stat. homi.l. familiæ.ff.de verb.significat.§.i. insti. de legit.agna.tutel.

PR. Filii non debent thesaurizare parentibus,sed patres filiis. 2 Cor.12.in can.prę dicator.xvi.q.i.

PRO. Facultas adimplendæ conditionis non transit ad hæredem, petendi autem transit in.l.si decem cũ petiero, vbi Bar. ff.de verborum obligatio.

PRO. Fama communis probationem adiuuat.l.iii.§.tu magis.ff.de testib.

PRO. Fictio est super certo,præsumptio super incerto.doctrina,glo.in.l. vnica.§. accedit,ĩ verbo p̃sumat.C.de rei vx. act.

PRO. Fictio operatur tantum, vbi veritas locum habet in.l.qui ad certũ.ff.loc.

PR. Filius non portabit iniquitatem patris.iiii Reg.14.Deut.24. Eze.18.&.l.crimen.ff.de pœnis.

OB. Contra de.l.quiſquis. C.ad leg. iuli. maieſta.

SOL. Ibi ſpeciale in crimine læſæ maieſtat.

OB. Præterea, pater & filius vna & eadẽ perſona reputantur.l.fin.C.de impub. ergo filius debet puniri ex delicto patris, cũ pœna in ſuum authorem retorqueri debeat.l.ſancimus.C.de pœnis.

SOL. Filius non habetur pro eadem perſona, cum patre in odioſis, vt in pœnis, quia odioſa ſunt reſtringenda.l.interpretatione.ff.de pœnis.

PRO. Furem nocturnum impune licet occidere.l.furẽ.ff.ad leg. Corn. de ſicca. in.c.ſi perfodiens, ext.de homic.

PRO. Factum ſeu miniſterium iudicis neceſſarium non eſt, vbi lex certa eſt, & operatur ſuum effectum.l. adoleſcentiæ tẽpus, vbi Bald.no.C.in quib.cauſ.in integ. reſt.non eſt neceſſa.

PRO. Factum contra naturam ſeu ſubſtãtiam actus non valet.l.cum præcario.ff. de præca.

PRO. Filiusfamilias ſuo nomine nullam

habet actionem. l. filiusfamilias. ff. de act. & obligat.

OB. Contra de. l. si longius. §. si filiusfamilias. ff. de iud. & l. cum filiusfamilias, vbi gl. ff. si cer. peta. vbi filiusfamilias agit.

SOL. Ibi propter iustam causam absentiae, vt studiorum, vt ibi. Vel dic quod non habet directam actionem, vt hic, sed exercitium tantum actionis, vt ibi.

OB. Itẽ contra de. l. miles. §. i. ff. de castr. pecul. vbi in castrensibus actio filiofamilias datur.

SOL. In his quae acquirit patri filiusfamilias non competit illi actio. In his vero quae sibi soli tantum acquirit, habet actionem, vt in contrario.

PRO. Frater fratrem inopem tenetur alere, in. l. qui filium. ff. vbi publi. edu. deb. l. prim. §. sed nonnullos. ff. de tuto. & rat. dist.

PRO. Fures hodie castigari debent. in authen. sed nouo iure. C. de seru. fug. in cano. fraternitas. xii. q. ii.

PRO. Fidem fallere grauissimum est. l. i. ff. de constit. pecuni.

PRO. Filium temporalem nostris temporibus habere non conuenit. l. si tibi filius ff. de adopt.

PRO. Filii viuo patre quodámodo domini existimantur. l. in suis. ff. de lib. & post.

PRO. Fratris appellatione soror quoque continetur. l. Lucius. §. quæsitum. ff. de lega. iii. l. tres fratres. ff. de pactis.

PRO. Filius est, ergo est hæres ad gal. 4. &. l. cum ratio. ff. de bon. dam. vbi hęreditas debetur filiis ꝛ. l. ex facto. §. fi. ff. ad trebell. vbi conditio, si sine liberis, idest, si sine hærede decesseris, intelligitur.

PRO. Facilius quid acquisitum retinemꝰ, ꝙ de nouo acquiramus. l. licet. C. de acq. poss. in. l. patre furioso. ff. de his qui sunt sui vel alie. iur. in. c. cõsulit, ꝛ. c. rursus, extra qui cler. vel vouent.

OB. Contra de. l. non distinguemus. in. §. sacerdotio. ff. de arbit. vbi vitiatur iam factum, quod tamen non impedit faciendum, & sic facilius de nouo acquiritur ꝙ retineatur acquisitum.

SOL. Pro sol. huius contrarii dic ꝙ in dicto. §. sacerdotio causa impediens, respi-

cit causam finalem, & tunc sicut impedit a principio faciendum, ita tollit iam factum. Secus quando causa impediens, respicit causam efficiẽtẽ, vt consensum qui est causa efficiens matrimonii. l. nuptias de reg.iur.ff. & licet ab initio aliquid impediat faciendum, non tamen tollit iam factum per regulã, factum legitime. vbi vide Dyn de reg.iur.libro. vi.

OB. Præterea opponitur de.l.sunt personæ.ff.de relig. & sumpt.fun.

SOL. Imo illa lex potius concordat secũdum Iac.Butrig.in.d.l.patre.

PRO. Faciliores non sunt testatorũ voluntates in onerandis hęredibus.l. vnum ex familia.§.si rem.ff.de lega.ii.

PRO. Filii familias testari non possunt.l. qui in potestate.ff.de testament. l. tam is §.i.ff.de donat.caus.mort.l. seniũ. C. qui testam.fac.poss.

OB. Contra, testamentum est publici iuris.l.iii.ff.de testam. In his autem quę sunt publici iuris filiusfamilias habetur pro patrefamilias.l. filiusfamilias. ff. de his q sunt sui vel alie.iur.

SOL. Dic ꝙ patria poteſtas non curatur quantum ad ius publicum. Verum intellige quantum ad magiſtratus obtinendos, vt ibi. Secus quoad teſtamenta, vt hic.

PRO. Fruſtratoria eſſe non debent priuilegia. c. in his, extra de priuileg.

PRO. Furtum ſine affectu furandi nō cō mittitur. l. furtum. ff. de vſuſc.

OB. Opponitur de. l. qui ſaccū. ff. de fur. ubi qui ſaccū cū pecunia ſubtraxit nō animo furandi ſaccum tenetur.

SOL. Ibi animus ei fuit ſecundario, licet non principaliter vel directe.

OB. Secundo opponitur de. l. fullo. §. q ancillam. ff. eod. tit. vbi furti tenetur. qui ancillam non meretricem non furandi, ſed libidinis tantum cauſa ſurripuit.

SOL. Illud ideo, quia domini intereſt, cū minus modo valeat ſecundum gl. in. l. verum. ff. eodem.

OB. Tertio & vltimo obſtat. l. cum ſeruus. ff. de condi. cau. da. cau. non ſecu. vbi furti quis tenetur, licet lucrandi cauſa non fecerit.

SOL. Ibi etiam erat lucrum, quia volun-

tatē suā expleuit dolose agēdo, vt ibi gl. dicit, vel dic ꝙ illi tres casus sunt speciales, & a regula nostra communi excipiuntur.

PRO. Furtum sine cōtrectatione rei nō fit. l. si quis vxori. §. iulianus. ff. de fur.

PRO. Fructus reddunt fundū prętiosiorē l. in lege falci. placuit. ff. ad. l. falci.

PRO. Fœminę non habent filios in sua ptāte. l. illud. § ad testamenta. ff. de bon. pos. cōtra tab. §. fœminę insti. de adop. §. cæteris, insti. de hære. qual. & diff.

PRO. Fere philosophicum est tēperamētum. l. obligationum ferē. ff. de ac. ꝛ obli.

PRO Fidelitas & diligentia præualet diuitiis, in. §. fi. insti. de suspe. tut.

PRO. Futurū ius remitti potest. l. i. C. de pactis. l. & hæredi. §. filia. ff. eodem.

OB. Contra de. l. si ita scriptū. §. si sub cōditione. ff. de leg. ii. & l. i. §. decretalis. ff. de succes. edic. vbi quod nondū acquisitū est repudiari non potest.

SOL. Remitti pōt. s. per pactū, vt hic, secus per repudiationem, vt in contrariis. Rō diuersitatis est qa hoc vnius cōsensu.

illud duorum vallatur, vnde duo vincula sunt fortiora vno.

O B. Præterea contra de.l.pactū.C.de colla. vbi nō valet pactū futurę succesſionis.

S O L. Ibi quando agitur de non succedē do, hic vero de non petendo ius futurū, vt fideicommiſſum, per quod in aliis rebus hæres eſſe non prohibetur, In contrario autem agebatur, vt non eſſet hęres ita no.gl.in.d.l.i.de pact.

P R O. Fauendū eſt in neceſsitate poſitis, in.l.ſi fideiuſſor.§.ſi neceſſaria.ff.q ſatiſd. cog.l.nec enim.ff.ex quib.cau.maior.

O B. Cōtra de.l.ii.&.l.mater.C.de ope. liber.vbi non fauetur ei, qui de neceſsitate coactus aliquid facit, ad idem textus, in l.nam quod.§.qui cōpulſus.ff ad treb.

S O L. Ibi quia bonū voluntariū eſt magis præmiandum q̄ neceſſarium, vt ibi.

P R O. Falſa demonſtratio nō vitiat actū. l.demonſtratio &.l.falſa.ff.de cōdi.& demon.&.§.huic proxima.inſt.de leg.

O B. Contra de.l.ſi ſic.§.i.ff.de leg.i.ubi demōſtratio falſa vitiat actum, q geritur.

S O L. Demōſtratio falſa adiecta ſpēi, ſi de

ea constat, vel quantitati certæ expressæ non vitiat actum, vbi autem quātitas certa non est expressa vitiatur actus indistincte. d. l. si sic.

OB. Præterea contra de. l. si pater. C. de hære. insti.

SOL. Vbi demonstratio falsa est ex errore testatoris, vitiatur actus, vt in cōtrario, secus si ex certa scientia, vt hic.

PRO. Falsa causa non vitiat actum. l. cū tale. §. falsam. ff. de condi. & demō. §. lōge, insti. de leg.

PRO. Fœminæ vno partu septem filios edere possunt, cū septem habeāt receptacula secundum Medicos, in. l. antiqui. ff. si pars hære. petat.

PRO. Filios castigatores esse parētū moribus nostris non conuenit, in. §. sed quod sancitum, in auth. de nup. coll. iiii.

OB. Contra de. l. iii. §. si quis. ff. de condi. caus. dat. caus. non secut.

SOL. In iure corrigere potest pater filiū vbi meliori nititur ratione, vt vbi.

PRO. Falsus denarius nō est denarius, no. glo. in. l. iii. C. de hære. & manich.

PRO. Frangenti fidem fides fragantur eidem. l. cum propona. C. de pact.

OB. Contra de. l. cum mota. C. de transa. vbi seruatur fides, etiam non seruanti fidem, & ex pacto transactionis nascitur actio præscriptis verbis.

SOL. Secundũ Bar. ꝙ ibi fuerat facta cõuentio per verba in quibus poterat cadere implementum, hic nõ, sed per ista verba promitto non agere, vel non petere, vel similia.

PRO. Fides veritatis verborũ adminicula non desiderat. l. i. C. si min. se ab hæred. abstinen.

ADDITIO.

PRO. Fiscus pręfertur priuato. l. si is qui ff. de iur. fisc. tot. tit. C. de priuile. fisc. Quãdoq; tñ iura quæ obtinent in fisco, obtinent & in priuato, vt in. l. item veniunt. §. ait senatus. ff. de pet. hęre. & econtrario, in. l. exemplo. C. de proba.

PRO. Factum iudicis reputatur factum patris in. l. si ob causam. C. de euict.

PRO. Fides etiam hosti seruanda est ca. noli. xxxiii. q. i.

PRO. Funiculus triplex difficulter solui tur in.c.i.de treug. & pac.ext.

PRO. Ferro abscindenda sunt vulnera, quæ fomenta non sentiunt, in.c.in cano nibus.xvi.q.i.

PRO. Frustra velociter currit, qui prius quam ad metas peruenerit, deficit, ca.in cassum, de peni.dist.iii.

PRO. Facito semper aliquid operis, vt diabolus semper te inueniat occupatum. in can.nunquam de conse.dist.v.

EX VTROQVE TESTAMENTO.

PRO. Frustra iacitur rhete ante oculos pennatorum prouerb.i.

PRO. Filius sapiens lætificat patrem, filius vero stultus mestitia ē mr̄is suę. p.x.

PRO. Fundamētum aliud nemo pōt ponere, præter id quod positū est, quod est Christus 1.cor.3.in can.cū paulus.i.q.i.

PRO. Fides sine operibus mortua est, Iacob.2.

PRO. Facilius est camelū per foramē acus transire, quam diuitem in regnum cœlorum mat.19.mar.10.

PRO. Facilius est cœlum & terram transire, quā de lege vnā apicē cadere. luc. 16.

G

PROPOSITIO.

GEnerale dictum restringitur ad habilia in. l. i. vbi glos. C. de sacrosanc. eccle. in. l. vt gradatim. §. i. ff. de mun. & hono.

PRO. Generalitas parit confusionē & obscuritatē. l. titiæ textores. ff. de leg. i. l. ita fidei. ff. de iur. fisc. l. cū stichus. ff. de so.

PRO. Gerundiū importat necessitatem. l. inter cætera. ff. de lib. & posth. in. §. adoptiui, insti. de exhæreditate libr, no. doct. in rub. C. de edendo.

PRO. Gaudent breuitate moderni, frustra enim fit per plura, quod potest fieri ꝑ pauciora. l. i. vbi glo. ff. quod met. caus.

OB. Contra de. §. sed non vsq; insti. de legi. vbi fiunt diuersi tractatus de legatis & fideicommissis, cum vnus poterat fieri

tantum, vt in volumine. ſtorum.

SOL. Ibi facilitatis gratia propter iuuenes adhuc tyrones in iure.

OB. Pręterea, duæ leges ſimiles inueniuntur in iure noſtro, in.l. raptores. C. de rap. vir. ſeu vid. & in.l. raptores. C. de epiſco. & cleric.

SOL. Lex poſita in vno titulo, poteſt & in alio ſituari dummodo faciat ad titulū vt in contrario.

PRO. Genitiuus importat dominium, in l. ii. §. in locum. ff. de relig. ꝛ ſump. funer. late tractant docto. in rubri. de noui ope. nuncia.

PRO. Grauius eſt diuinam, quam temporalem offendere maieſtatem, authen. gazaros. C. de hære. capi. vergentis, de hære. extra.

PRO. Genus a digniori parte ſui denominationem ſumit, no. gloſ. in.l.i. ff. de verbo. obligatio.

PR. Generalitati ſpecialitas derogat.l. vxore. §. fœliciſsimo, ꝛ.l. ſeruis vrbanis. §. vernę. ff. de lega. iii.l. ſanctio legum. ff. de pœnis, in. c. i. de reſc. & c. ſtuduiſti. de off.

leg.ext.in.c.dudum &.c.quamuis,de prę ben.in.vi.

OB. Contra,quia immo enumeratio ſpecierum generalitati nō derogat,in.l.quęſitum.§.fin.ff.de fid.inſtru. & .l. legata.ff. de ſupp.leg.&.l. verba.ff. de alimen. & ciba.lega.

SOL. Vbi remouēdæ dubitationis cauſa ad maiorem euidentiam ſpecies enumerantur a ſciente,genus non minuitur per ſpeciem dicta.l.quæſitum,in fi. ꝛ.d.l. verba,Si vero ab errante,fiat ſpecierum enumeratio eo caſu ex abundanti fit, ideoq; per eā nihil generi derogatur.d.l.legata, in principio. Vel dic breuius,ꝙ noſtra regula non habet locū,in ſpecie ſubiectiua, quia exempli cauſa ponitur ſecūdum docto. vt in contrariis.

OB.Præterea obſtat,quia generalibus ſpecialia inſunt.l.hoc legatum.ff.de lega.iii. vbi generale verbum,quæ vxoris cauſa parata ſunt,continet ſingulas ſpecies. Ad idē tex.in.l.fi. C.q res pign.obli.poſ.&.l. fi.C.de hær.vel act.vē.&.l.ſi ſeruitus,de ſer.vr.pd.ff.reg.i gnalibus de reg.iu.i.vi.

SOL. Tu dic ꝙ licet per speciem generi derogetur, vt hic, tamen species sub genere bene continetur, vt in contrariis.

PRO. Gratificationi locus est in.l.fi.ff.de relig.& sump.fune.

OB. Contra de.l.si duobus.C.commu. de leg.&.l.quoties.ff.de vsufr.

SOL. Vbi actus vitiatur propter incertitudinem gratificationi locus nõ est.l.duo sunt titii, de testamen.tut.ff.nec obstat.l. si quis seruũ.§.si inter duos.ff.de leg.ii.qa ibi necessitas non imponitur, vt ibi not.

ADDITIO.

PRO. Generalia verba trahuntur & ad presentia & ad futura, in.l.fi.c. quæ res pig.oblig. poss. vel non.

OB. Contra quia generalitas non trahitur ad futurũ nisi exprimatur.in.l.si a colono.ff.de verb.obli.

SOL. Ibi loquitur in stipulante per verba de præsenti quæ de futuris non intelliguntur, & est ratio, quia magnum damnum esset promittenti, quod non est obliganti, cum per hoc non plus debeat, vt hic.

PRO. Generalis ratio præualet speciali in.§.furtiuæ insti.de vsusc.& in.§. affinitatis insti.de nup. vbi no.

OB. Contra imo specialis præualet, vt in l.quædam.ff.de eden.

SOL. Actio propria, & specialis alicui competens, pręfertur generali, vbi enim actio ordinaria locum habet recurrendũ non est ad extraordinariã seu subsidiariã in.l.caussæ.ff.de minor. maxime cũ clausula generalis referat̃ ad specificata in.l. doli clausula.de ver.ob.ff.

PRO. Gloria hominis ex honore patris, & dedecus filii pr̃ sine honore, eccle.iii.

PRO. Gratia si non gratis datur vel accipitur gratia non est, ca.gratia.i.q.i.

EX VTROQVE TESTAMENTO.

PRO. Generatio praua, & adultera signum quærit, & signum non dabitur, nisi signum Ionæ prophetæ, matthe.12. &.26.

PRO. Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente quam,

ſuper nonaginta nouē iuſtis pœnitentiā non agentibus, Luc. 15.

PRO. Gaudet ſimilis ſimili eccle. 13.

H

PROPOSITIO.

HOmo homini debet obſequium. l. ſi ſeruus. ff. de ſeru. ex por.

PRO. Humana natura quodammodo labimur ad delicta, in. §. ſi vero is quidem, in auth. de monach. coll. iiii.

PRO. Homo non eſt dominus membrorum ſuorum. l. liber homo. ff. ad. l. aquil.

PRO. Homo liber æſtimationem nō recipit. l. liber homo. ff. de verb. obliga.

PRO. Homo eſt digniſsima creaturarum in. l. iuſtiſsime. ff. de edil. edic. vbi gl. in. l. i. de ſenato.

PRO. Humanæ ſortes multę ſunt, in. l. fi. C. de pręſcri. xxx. vel. xl. annorum.

PRO. Hæres adeundo hæreditatē quaſi

contrahit cum creditoribus & legatariis, l.ex maleficiis.§.hæres.ff.de act.& obli. l.apud iulianũ.§.fi.ff.in quib.cau.in posses.eat.§.hæres,insti.de obli.ex quas.cõt.

PRO. Hysteron proteron figura est ordo conuersus in.l.riparum.ff.de rerum diui. in.§.litorum,insti.eodem titu.l.fi.§.fin.C. de ann.excep.

PRO. Honestus cuiusque luxuria modus seruandus non immoderata cuiusq; luxuria sequenda.l.ex damni infecti stipulatione.ff.de dam.infect.

PRO. Hæredes iuris successores sũt.l.quoties.§.hæredes.ff.de hær.insti.l.cũ heres, de din.præs.in.l.heres,de acqui.hære.

PRO. Hæreditatis appellatione bonorũ quoq; possessio continetur.l. hæreditatis appellatione.ff.de ver.signi.

PRO. Hæreditas representat personã defuncti,& est pro domina,in.l.non minus §.fi.ff.de her.inst.l.hæreditas.i.&.ii.ff.de acq.re.do.l.cũ hereditas.C.de pos.l.mortuo.ff.de fideiussor.in.§.seruus alienus,inst.de hære.insti.

PRO. Hereditariũ proprie est quodante

aditam hæreditatem acquisitum est, adita enim hæreditate desinit esse hæreditarium, & proprium fit hæredis, Not. glo. in. l. i. §. veteres. ff. de acqui. pos. ⁊ in. l. hęres per seruum. ff. de acqui. hære.

PRO. Hæres idem est quod dominus, in §. fi. insti. de hære. qual. & diff.

PRO. Hęres eadē est psona cū defuncto in. l. hæres. ff. de vsucap. in. §. i. in auth. de iureiu. a no. pręst. col. iiii.

OB. Contra. d. l. qui in futurū. §. i. de pac. ff. vbi pactum in persona testatoris non porrigitur ad hæredem.

SOL. Ibi quia erat personale pactum, qđ cum persona extinguitur. l. idem. §. personale. ff. eodem titu. l. qui tale. ff. solut. matrimo.

OB. Præterea opponitur, qa hæres hæredis, est hæres testatoris, in. l. fi. C. de hęredib. insti. & tamen in substitutione facta per hæc verba, quisquis mihi hæres erit, non venit hæres hæredis.

SOL. Ibi quia non veniebat ex volūtate defuncti, nec tenebat locū primi quo ad effectum testantis, vt ibi no. Bar.

PRO. Hæreditas neque dari, neque adimi codicillis poteſt. l. hæreditatem. C. de codicil.
OB. Contra de. l. Scæuola. ff. ad treb.
SOL. Directo dari non poteſt, vt hic, p obliquum vero poteſt, vt ibi per fideicõmiſſum.
PRO. Hæredis inſtitutio. eſt caput & fundamentum teſtamenti. §. ante hæredis, inſti. de leg.
PRO. Hi qui neſciunt ius ſuum, eligẽtes id quod putant ſibi competere, non amittunt, non enim videor amittere, quod habeo, quod tamen non credo habere, licet eligam quod credo habere, in. l. mater decedens. ff. de inof. teſt. in. l. clodius. ff. de acquiren. hæredi.
OB. Contra imo aliquis renunciare poteſt iuri quod neſcit ſibi competere, in. l. ſub prætextu. ii. C. de tranſa.
SOL. Ibi propter generalem petitionẽ, & tranſactionem, q̃ in omnibus præiudicat. uel dic ꝙ ille textus refertur ad perſonam trãſigẽtis nõ rei ſm intellectũ doct. ibi, & ſic non obſtabit imo concordabit.

OB. Prȩterea opponunt de.l.qui Romę. §.duo fratres,de ver.obli.ff.ita inducendo ꝙ per diuiſionem generalem,quis renũtiat iuri de futuro quod ignorat ſibi cõparere,vt fideicommiſſo,vt ibi.

SOL. Imo dicas ꝙ ibi ſciebant de fideicõmiſſo futuro.ita gl.in.l.tres fratres.ff. de pac.vel dic ꝙ ibi erat iniuſta ſnīa,&cõtra exceptionē pacti gn̄alis replicabitur, vt.d.l.tres fratres,vt ibi per gl.& Bar.tenent hunc intellectum,& per conſequēs non erit renunciatum fideicõmiſſo.

PRO. Humana fragilitas mortis perturbatione terretur,& plures res minus cogitatione poteſt conſequi.l.hac conſultiſſima.§. at cum humana fragilitas. C. qui teſta.fac.poſ.vel non.

PRO. Hæredes pro hæreditaria parte tenentur ad onera hæreditaria.l. pro hæreditariis.C.de hæredi.actio.l.prima.C.ſi cert.peta.

PRO. Hæreditatis appellatione legata, & fideicommiſſa non cõtinentur.l.ſi Titius.ff.de leg.iii.

PRO. Hæreditas plerunque eſt oneroſa.

l.ſi

l.si hæreditas.ff.manda.§.i.institu.de autho.tuto.
PRO. Hæreditas nulla est viuẽtis.l.i.C.de hære. vel actio. vend.l. opinione. C. pro hæred.l.neminem.ff.de acqui.hære.improbus enim est qui sollicitus est de diui. hæreditate,in.l.ii.§.Iulianus.ff.de vulga. substi.l.ita tamen.§.a patre.ff.ad treb.
PRO. Hæreditariæ rei furtum fieri non potest.l.hæreditariæ.ff. de fur.l.i.§.scæuola.ff.si quis testa.lib.esse iur.fuer.
PRO. Hæreditas solo animo audiri põt, in.l.auia. C. de iur. deliberan. in.l.gerit. ff.de acqui.hære.in.§.vlt.inst.de hæred. qual.& diff.
PRO. Hæreditas non adita, regulariter non transmittitur ad hæredes.l.vnica.§. in nouissimo.C.de caduc.tol.Fallit in tribus casibus.Primo in transmissione iure suitatis,in.l.vnic.C.de his qui ante apert. tabu.l.ventre ff.de acqui.hære. Secundo fallit in trãsmissione iurę sanguinis in.l. apud hostes.C.de suis,& leg.hæred.Tertio & vltimo in transmissione iuris deliberandi,in.l. cum in antiquioribus.C.de

iur. deliber. Alios casus fallentiales, vide per glo. in. l. sed et si. ff. de bon. posses. contra tabu.

PRO. Hosti fides seruanda est. in. l. conuentionum, de pact. ff. vbi not. doct.

PRO. Hæreditas, legatū, & donatio caussa mortis non sine caussa obueniunt, sed ob merita, accedunt, in. l. nec adiecit. ff. pro socio.

OB. Contra valet illa institutio filius impiissimus, & de me male meritus hæres esto. l. his verbis. §. illa institutio. ff. de hæredi. institu.

SOL. d. l. nec adiecit, intelligitur in hæreditate extraneorum, non autem suorum hæredum, ratio diuersitatis, quia hæreditas debetur filiis a natura. l. cū ratio. de bo. dam. ff. ergo necessario debetur, cum naturalia sint immutabilia. §. pen. inst. de iur. natu. Nec obstat quod sit male meritus, exprimenda enim & probāda est caussa ingratitudinis, auth. licet. C. de lib. præt. vel exhære.

A D D I T I O.

PRO. Humana forma ad similitudinem

pulchritudinis cœlestis est figurata gen. 8. l. si quis in metallum. C. de pen.

PRO. Humanum est fortuitis casibus mulieris maritum, vel vxorem viri, participem esse. l. si cum dotem. §. si maritus. solu. matrimo.

PRO. Hominum gratia ius omne constitutum est in. l. ii. ff. de sta. homi.

EX VTROQVE TESTAMENTO.

PRO. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his cōtenti simus. i. thim. vi. can. episcopus. x. q. ii. & ca. ecclesia. xiii. q. i.

PRO. Honora medicum propter necessitatem. Ecclesia 38.

PRO. Honora patrem & matrem, vt sis longæuus super terram, Leui 20.

PRO. Hilarem datorem diligit dominus 2. Cor. 9.

PRO. Homo natus est ad laborandum, sicut auis ad volandum Iob. 5. vnde ait Deus, in sudore vultus tui vesceris pane tuo, Gene. 3.

PRO. Homo videt ea quæ apparet, deus autem cor intuetur. 1. Reg. 16.

I

PROPOSITIO.

INfirmitati non calliditati, ius succurrit, l.ii.ff.ad sena. velle. l.si sine. C.eod.titu.

PRO. Inter iuramētum & simplicem loquelā non facit deus differentiam, in can. iuramenti.xxii.q.v.

PRO. Iactare suum nemo pręsumitur.l. cum de indebito.ff.de proba.

OB. Contra de.l.si vero non remunerandi.§.idem Papinianus.ff.mand.vbi præsumitur quem donare voluisse.

SOL. Ibi præsumitur donatio ratiōe primæ liberalitatis, vna enim donatio facit aliam præsumi, vt ibi not.

OB. Contra de.l.si quis vxori, de aur.& argen.leg. vbi quis legando, quæ sunt propria vxoris, videtur legare etiam sua, ergo quis suum donare præsumitur.

SOL. Sol. Ibi ratione cōiugalis affectio-

nis,& vide glo.in.l.sed si ego.ff.ad velle.
PRO. In contractibus stricti iuris quod nō est expressum pro omisso habēdū est. Imputandum enim est ei, qui apertius legem potuit dicere, vnde oratio ambigua vel obscura contra proferētem interpretatur,in.l.quicquid adstringendę,de verbo.obli.ff.l.veteribus.de pact.
OB. Contra imo secundum intentionem proferentis est interpretāda,in.l.inter stipulantem.§.i.ff.de verb.obli.l.si quis intentione ambigua.ff.de iud.& in.l.ambiguis.ff.de reg.iur.
SOL. Hic in contractibus,ibi in iudiciis.
PRO. In re communi socius inuito socio nihil potest facere.l.in re communi.ff.de serui.vrb.præd.
PRO. In his quæ sunt communia pluribus,vt singulis requiritur consensus omnium.l.per fundum.ff.de serui.rust.pręd.c.cum omnes,extra de consti.
OB. Contra de.l.ꝙ maior.ff.ad mun.vbi sufficit consensus maioris partis.
SOL. Ibi in his quæ sunt communia pluribus,vt vniuersis.

PRO. Ignorantia est omnium errorum mater, can. ignorantia. xxxviii. dist.

PRO. In dubio videtur quis legare ius quod habet in re. l. si domus. §. finali. ff. de lega. i.

PRO. Iusiurandũ habet vim rei iudicatę. l. ii. ff. de transact.

PRO. In alternatiuis electio est debitoris, in. l. plerunque. § fi. ff. de iur. dot. reg. in alternatiuis, de reg. iur. in. vi.

PRO. Illud quod facit actorẽ in petitione succũbere, facit succumbere reum in exceptione. l. iii. §. si quis duobus, vbi Barto. ff. de adin. leg.

PRO. Inspicitur id quod euenire põt. l. si quis domũ §. idem quærit, loc. ff. vbi quis prospicere debuit quod euenire potuit, & in. l. si idem in. §. fina. de iurisdict. omnium iudi.

PRO. Contra imo nõ curatur quod euenire potest, in. l. sciendum. §. penul. ff. qui satis. cog. & in. l. i. de in lit. iur. ff.

SOL. In. d. §. pen. erat dispositio de pręsenti. Cuius euentus non suspenditur in futuro, ideo non consideratur, quod eueni-

re potest & in.d.l.i.pręsens status rei non exigebat praesentiam de futuro, hic sic.

O B. Praeterea opponitur de.l.inter stipulantem.§.sacram,de ver.obliga.ff.& in principio,insti.de inut.stip. vbi in obligationibus non consideratur, ꝙ res in aliũ statum mutari possit, vt ꝙ de libero seruus,de sacro profanum, de publico priuatum fieri possit

S O L. Ibi quia hoc expectare esset inciuile & irrationabile, vt ibi.

P R O. Iudicandi munus est publicum & necessarium.l.quippe.ff.de iud.in.l.munerum.§. iudicandi.ff.de mune.⁊ hon.l. de qua re,de iudi.ff.

P R O. Interdum plus valet scriptura q̃ quod actum est.l.si alii.ff.de vsut.leg.

P R O. Interdum de facultatibus suis amplius sperant homines, quam in his est. §. in fraudem, insti.quib.ex caus.maio. non licet.

